

operatio hæc locū habet, cum ambo planetæ uel simul fuerint retrogradi, aut simul directi. In retrogradatione tamen intellige eum præcedere, qui minus habet in signis gra. & mi. Si uero unus eorum fuerit directus, & alter retrogradatione molestus, alter erit modus operandi. Cum ergo in ueneris unum directum & alterum retrogradum, tunc quære motum directi in uno die, similiter inueni motum retrogradi unius diei post tempus primæ æquationis. Quibus habitis iunge illos duos motus ad inuicem, & per hoc aggregatum diuide habitam longitudinem, ut prius. Et animaduerte, si locus planetæ retrogradi fuerint minor loco planetæ directi, quòd si sic, coniunctionem iam præcessisse significat: quare tempus per diuisionem repletum ut uisum est subtrahendum erit de tempore ad quod uera planetarum loca computasti. Si autem planeta retrogradus fuerit plus in gradibus & minutis quàm directus, tunc coniunctionem futuram esse indicat, igitur in hoc casu tempus ex diuisione, ut supra, comper tum, addi debet tempori ad quod planetas æquasti, & quod hoc pacto uel addendo comportatur, uel abijciendo residuatur, erit tempus uere coniunctionis. Si autem uolueris multum præcise tempus scire uere coniunctionis duorum planetarum, inquiras eorundem ueros motus ad tempus hoc modo repertum, qui si iacuerint in eodem loco, habes quod quærebas. Si non, tunc distantiam ipsorum addiscas, subtrahendo uidelicet minorem de maiore, & scias cuiuslibet eorum motum horarium, qui aliud non est nisi uigesima quarta pars motus diei naturalis tui planetæ, & superationem inuenias subtractiue scilicet, dum ambo fuerint directi aut retrogradi. Coniunctiue uero, si unus ex eis directus & alter retrogradus fuerint deprehensi, in tali namq; dispositione, eorum motus horarij in simul addantur, & quod sic conflatur residuaturue, diuisor longitudinis constituatur præfatæ, & in quotiente resiliunt horæ. Et si quid remanserit per 60 resoluas, & productum diuide per id quod prius, & proueniunt minuta &c. Tempus autem sic exortum adde priori, si coniunctio futura est, uel de eodem remoueas, si de facto præterijt, & quod post additionem colligitur, uel post ablationem residuatur, erit tempus ueræ coniunctionis, quod quærebat exacte. Consimilis fiet operatio in aspectibus eorum, ut in oppositionibus sit distantia eorum per 6 signa, in sextili per 2, in quadrato per 3, in trino per 4 signa.

De coniunctionibus & oppositionibus ueris luminarium. Propositio XXXIII.

Tempus ueræ coniunctionis & oppositionis luminarium explorare.
 Habeas tempus mediæ coniunctionis uel oppositionis per 22. Item 1
 medium motum Solis & Lunæ cum eorum argumentis. Deinde quære 2
 ad hoc tempus uerum locum Solis, ut dictum est supra, scilicet subtrahendo
 augmētum eius ad idem tempus computatā de Solis motu medio formādo
 argumentū. Inuenias quoq; uerū motū Lunæ per eius argumētū tantum. 3
 E In op.